DE AUXILIIS DIVINÆ GRATIÆ
THESES
HISTORICÆ, DOGMATICÆ, SCHOLASTICÆ,
Juxta inconcuſſa, tutiſſimaque
SS. AUGUSTINI, ET ANGELICI PRÆCEPTORIS DOGMATA,
Quas ſub Auſpiciis SS. D. N. D.
BENEDICTI
PAPÆ XIII.
EX ORDINE PRÆDICATORUM ASSUMPTI
Publico exponit certamini
P. F. IGNATIUS BOSCHOVICH
Ejuſdem Ordinis Florentiæ in Conventu S. Marci Sacræ Theologiæ Studens.

FLORENTIÆ. MDCCXXV.
Typis Regiæ Celſitudinis. Apud Tartinium, & Franchium. *Superior Facult.*

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Dominicus de Rossi Hæres Io. Iacobi formis Romæ ad Templ. S. M. de Pace cum Priu. S. Pont.

Digitized by Google

BEATISSIME PATER.

QUO profundius eſt divinorum Decretorum Pelagus, quò inſcrutabilius gratuitæ prædeſtinationis arcanum, BEATISSIME PATER, eò magis

Digitized by Google

Mæcenatis benigniſſimi, potentiſſimique Patroni, umbram nobis eſſe captandam ſtatim intelleximus. Tot enim difficultatum ſtimulis vallata eſt Gratiæ elegantia, tot obſcuritatum tenebris obſepta Prædeſtinationis altitudo, ut nullò pactò abſque magni nominis Duce, qui pro ſua humanitate velit, pro ſua authoritate poſſit vim, & impetum adverſantium amoliri, victoriam ſperare liceat. Tu nobis illicò occurriſti, BEATISSIME PATER, in quo quidquid, vel ad ſecuritatem, vel ornamentum valere poteſt, mirò fœdere conjunctum refulget, & quò nemo, aut gloria clarior, aut dignitate ſublimior, aut quod in primis allexit Divinæ Gratiæ carior exiſtit. Huic enim debes, ut cętera ſilentiò premam, innumera, potentiſſimaque auxilia, quibus ab incunabulis continenter perfuſus, humanis, terreniſque, nec motus blanditiis, nec territus minis ridentis fortunæ blandimenta, quibus alii, heu nimium, ſuccumbunt, nullò negotiò ſuperaſti. *Niſi enim* ait Innocentius Primus, cujus & dignitatem tenes, & virtutes æmularis, [a] *niſi magnis precibus gratia in nos implorata deſcendat, nequaquam terrenæ labis, & mundani corporis vincere conamur errores, cum pares nos ad reſiſtendum, non liberum arbitrium, ſed Dei ſolùm facere poſſit auxilium*. Hujus ſuaviſſimà ope ſuffultus, ultra ætatem, ultra fortunam, ultra Teipſum animum erigens, in ipſo primævæ juventutis flore eximium humilitatis, nullò temporum impetu delendum præbuiſti exemplum, dum ſpretis ampliſſimis Urſinæ Gentis Principum, ac Ducum feraciſſimæ faſcibus, repudiatis Regnatricis aulæ divitiis, poſthabitis innumeris avitæ no-

a *S. Innoc. in reſcripto ad Concilium Carthaginenſe.*

nobilitatis inſignibus, Religioſæ Militiæ nomen conſecraſti, ut ſuaviſſimo Thomiſticæ gratiæ lacte potatus, Dominicanis in caſtris uberiores Divini illius luminis, *intus*, ut Auguſtinus ait, [a] *agentis*, *corda tenentis*, *corda moventis* influxus reciperes. Nec te tua fefellit opinio, novum enim militem, [b] *jam non dicam hoſpitem*, *&* *advenam*, *ſed civem*, *&* *domeſticum*, in ſinum ſuum, Prædicatorum videlicet Ordinem, cui potentiæ ſuæ theſauros ſervandos concredidit, blando vultu excepit gratia, virtutibus diù aluit, & ad gerendam Eccleſiarum ſollicitudinem eduxit, ut alios etiam ipſi natos, jam non filius, ſed Pater felici germine procrearet. Beneventanam, aliaſque olim tuæ curæ concreditas urbes in argumenti teſtes lubentiſſimè appellarem, quæ te modò puerorum animos Chriſtianæ Sapientiæ elementis inſtituentem, modò Civibus, quà verbò, quà vitæ exemplis, rectè vivendi leges ferentem, admiratione defixę ſuſpexerunt; uberiorem tamen victrici gratiæ a te reportatam palmarum ſegetem, Eccleſiarum Princeps Romana repræſentat Eccleſia. Cùm enim primùm ad hanc Chriſtianæ veritatis Chatedram ferventibus omnium votis expetitus aſſumptus es, illicò præcipuos Apoſtolatus tui labores in vindicandis Divinæ Gratiæ juribus contuliſti. Vidimus, BEATISSIME PATER, vidimus, lætiſque luſtravimus oculis, celeberrimas Sanctitatis Tuæ ad nos tranſmiſſas Epiſtolas, quibus ad obſtruenda obtrectatorum ora, quid fortius? ad reſtituendum efficaciſſimæ Dei Gratiæ avitum ſplendorem, quid efficacius? Vidimus è graviſſimis procellarum fluctibus, quas in quibuſdam Chriſtiani Orbis Eccleſiis antiquus

a *Aug de correp. & gratia cap.* 14 b *Ap. ad Epheſ.* 2.

Divinæ Gratiæ, humanique generis hoſtis excitaverat, periclitantem Petri naviculam, tanti Gubernatoris peritia, in tranquilliſſimum quietis portum jamjam appuliſſe. Hæc ſunt, BEATISSIME PATER, quæ vidimus, ſed non minora ſunt, quæ crebris aliorum ſermonibus uſurpata audivimus. Audivimus quippe BENEDICTUM XIII. non minus Apoſtolicis litteris, quam ſanctiſſimis vitæ ſuæ moribus Thomiſticæ gratiæ potentiam commendantem. Quis enim Divini hujus Syderis potentiſſimo deſtitutus influxu, ſenili jam ætate fatigatus, tanta vigilantiæ, ac Religionis laude totius Chriſtianæ Reipublicæ pondera ſuſtineret? Quis abſque efficaci Cœleſtis hujus auræ afflatu in celſiſſimo Paſtoralis ſpeculæ faſtigio conſtitutus ſeſe in humillima quæque pietatis munia demitteret, modò in Xenodochiis languentium, modò Peregrinorum, depoſità, ut ita dicam, Majeſtate, provolutus ad Pedes? Quæ cum ita ſe habeant, nullus dubito, BEATISSIME PATER, quin noſtræ de Divinis Auxiliis Theſes, SS. Auguſtini, & Thomæ Doctrinam ſpirantes, Sanctitati Tuæ ſint acceptæ. Hoc nobis tuus in Prædicatorum Ordinem amor; Hoc in Angelicum Præceptorem reverentia; Hoc denique in efficacem Dei Gratiam grati animi ſenſus, abſque ulla hæſitatione promittunt.

Digitized by Google

DE AUXILIIS DIVINÆ GRATIÆ

DISSERTATIONES

HISTORICÆ, DOGMATICÆ, SCHOLASTICÆ.

DE HÆRESI PELAGIANA.

I. ORigenes in Lib. περὶ ἀρχῶν univerſam Divinæ Gratiæ œconomiam ità ſubvertit, ut meritò ab Hieronymo dictus ſit in cal. Dialog. Pelagianorum *Amaſius*, doctrinaque Pelagii *origenis ramuſculus* appellata, ep. ad Cteſiphontem.

II. Theodorum Mopſveſtenum maximum poſt Origenem Pelagianorum Patronum novimus ex Mario Mercat. in Præfat. ſubnot. & ex Phot. Cod. 177.

III. Rufinus ille natione Syrus, de quo Mar. Mercat. in præf. ſubnot. diſtinguendus ab altero Rufino eſt Presbytero Aquilegienſi, ob geſtas cum S. Hieronymo inimicitias, obſtinatamque Origenis defenſionem toto Orbe celebri.

IV. Primus, teſte eodem Mar. Mercat *inimicam recte Fidei quæſtionem* de Peccato originali *ſub Anaſtaſio Romam invexit*. Secundus, teſte Hieronymo lib. 2. adver. Ruf. *Anno 13. Siricii, invexit in urbem, navem plenam ſuarum blaſphemiarum*, ac præcipue, περὶ ἀπαθείας & ἀναμαρτησίας, de impaſſibilitate, & impeccantia damnanda Origenis dogmata.

V. Gemino itaque Rufino obſtetricante eductus eſt *coluber Britannus*, Pelagius ſcilicet, qui jam tum ab Anno 405. adverſus Dei gratiam apertiùs ſibilare cæpit, data eo Anno ad S. Paulinum Ep. quam non caruiſſe veneno, S. Aug. oſtendit lib. de grat. Chriſti cap. 35.

VI. In Occidente præcipuos perverſi dogmatis defenſores habuit, Cæleſtium, primùm Auditorialem Scholaſticum, inde Presbyterum; Julianum Æclanenſem Epiſcopum, & Annianum Pſeudo Diaconum Celedenſem. In Oriente vero Pelagii, etſi non dogmatibus, ſaltem perſonæ impenſiùs favit Joannes Hieroſolymitanus Antiſtes; quod conſtat ex Oroſii Apologia pro lib. arbitr., cujus auctoritatem fruſtrà elevare quidam contendunt, eam Oroſio ſuppoſitam aſſerentes.

VII. Pelagii dogmata omnibus nota recenſere non libet. De quibus diſputatur, hoc noſtrum judicium. Pelagius nec Ethnicus aliquando, nec Semi-ethnicus, nec Judæus fuit; unde quatuor illi, quos poſt Janſenium quidam recenſent Pelagianæ Hæreſeos ſtatus, minus appoſitè diſtinguuntur.

VIII. Interiorem gratiam, quæ intellectum illuminaret, & voluntatem moraliter excitaret, verbis luculentiſſimis commendavit, lib. 3. de lib. arb. apud S. Auguſt. lib. de grat. Chriſti cap. 7. & 10.

IX. *In his omnibus tamen*, inquit S. Auguſt. ibid. *non receſſit à commendatione legis, atque doctrinæ, quia, an credat aliquod adiutorium benè agendi adiunctum naturæ, atque doctrinæ per inſpirationem flagrantiſſimæ, & luminoſiſſimæ charitatis*

 non

non omninò apparet. Ita S. Aug. lib. laud. poſt diſcuſſas ferè omnes Pelagii literas, & opuſcula; unde luce clarius apparet, auxilium gratiæ per ſe efficacis nunquam admiſiſſe Pelagium.

X. An auxilium cooperationis, ſive ut vocant, ſimultaneum admiſerit aliquando Pelagius, incertum eſt.

XI. Auxilium ſufficiens, quo boni operis poſſibilitas confertur, in ſola hominis natura conſtituit, quam ſola lege, atque doctrina, exemplis Chriſti, moralibus excitationibus, & peccatorum remiſſione, perhibuit adiuvari: ex S. Aug. lib. de gratia Chriſti cap. 4. & ſeq.

XII. An munera illa Divinæ adoptionis, conſecrationis, expiationis, &c. quibus locupletem eſse Baptiſmum, verbis magnificis prædicabant, cuidam formæ intrinſecus inhærenti Pelagiani tribuerint, planè non conſtat.

XIII. Fidem, Caritatem, totius legis obſervantiam, virtutes omnes naturæ viribus tribuebant, quibus Divinam gratiam homines promererentur, quæ tamen Regno Cœlorum conſequendo pares non erant ſine Baptiſmatis Sacramento. Ex Pelagii Ep. ad Demetriad. & ex Cæleſtio in lib. Fid. Romam tranſmiſso.

XIV. Hinc, licet Julianus Infidelium opera tantopere commendaret, eis tamen Regni cæleſtis, ſempiternæque ſalutis meritum adimebat; apud S. Auguſt. lib. 4. c. Jul. cap. 3.

XV. Duplici itaque veluti capitali errore Pelagianorum dogma continebatur; quorum primus liberi arbitrii vulnera non agnoſcebat; alter libero arbitrio gratiam ſubiiciebat. Primo, ut ſe opponeret Aug. habitualis gratiæ, & caritatis, quibus natura ſanaretur, neceſſitatem ſummopere commendabat. Secundum, ut exſcinderet, actualis tum gratiæ, tum caritatis efficaciam, & in liberum arbitrium dominium, & poteſtatem maximè extollebat; unde de utraque gratia, & charitate diſſidium illi cum Pelagianis fuit.

DE HÆRESI SEMI-PELAGIANA.

XVI. Caſſianus, Fauſtus, Gennadius Semipelagianorum extra omnem controverſiam in Galliis primipili: qui eos ab erroribus circa gratiam purgare voluerit, inutilem navabit operam; haud ſecus ac ſi Ethiopem dealbare contendat.

XVII. Hilarius ille, cujus extat ad S. Aug. de Gallorum diſſidiis Ep. alter omninò eſt ab Hilario Arelatenſi Epiſcopo; hunc enim Semipelagianis potius adhæſiſse adverſus S. Aug. conſtat ex Ep. Proſperi præfixa lib. de Præd. SS.

XVIII. Vincentius ille, cujus adverſus S. Auguſt. objectiones S. Proſper diſsolvit, fueritne Vincentius Lirinenſis, ſuo adverſus prophanas hæreſum novitates commonitorio ſatis celebris, haud immeritò quiſquam ſuſpicatus fuerit; ſeipſum enim haud obſcurè prodit ejuſdem commonit. cap. 37.

XIX. S. Joannem Chryſ. Semipelagianis præiviſſe, Vaſquius putavit; eorum errores S. Irenæum M. & magnum Clementem Alexadr. præfòrmaſſe, Magdeburgenſes Centuriatores calumniati ſunt; ſed ab eorum calumniis præclariſſimos Eccleſiarum Magiſtros vindicare, noſtri muneris eſſe judicamus.

XX.

Digitized by Google

XX. Semipelagianorum dogmata omnibus cognita præterimus. De his quæ in controverſiam vocantur, ita ſentimus. Univerſum Prædeſtinationis Syſtema, Scientiæ conditionatæ, boni uſus liberi arbitrii Semipelagiani ſuperſtruebant; unde illud Fauſti lib. 2. cap. 3. *Niſi præſcientia exploraverit, prædeſtinatio nihil decernit.*

XXI. Hanc Divinæ mentis præſcientiam humanorum actuum eſſe cauſam negabant; *Præſcientiam*, inquit Fauſtus ib. c. 2. *& Prædeſtinationem Dei malè intelligunt aſſruentes, quod inde humanorum actuum cauſa naſcatur.*

XXII. Non ideò aliquid erat futurum, quia Deus futurum prævidebat; ſed contrà, quia futurum erat, ideò Deus prævidebat eſſe futurum: unde Fauſtus ſubdit ibid. *Primum, quid ex quo pendeat, perſpicere debemus. Non propterea homo quodcumque facturus eſt, quia eum coactura ſit præſcientis auctoritas, ſed magis Deo præſciendi ingerit qualitatem libertas præſciti hominis, ac voluntas.*

XXIII. Diſputant Theologi, an aliquam gratiam interiorem agnoverint Semipelagiani; ſed omnem diſputandi rationem tollit Caſſianus Collat. 13. cap. 3. apud S. Proſper. cont. Collat. c. 2. *quibus*, inquit Caſſian. *manifeſtè colligitur non ſolum actuum, verum etiam cogitationum bonarum ex Deo eſſe principium.* Et ne hoc, addit loco laudato S. Proſper, de do- „ ctrina extrinſecùs adhibita deberet intelligi, vigilanter addiderat; *qui nobis, & initia ſanctæ voluntatis inſpirat, &c.*

XXIV. Per hæc tamen à commendatione legis, atque doctrinæ minimè receſſerunt; quia gratiam illam, quà Deus exerit, quam *ſine dubio habet*, ut Auguſt. loquitur lib. de corrept. & gratia cap. 14. *humanorum cordium, quo placeret inclinandorum omnipotentiſſimam poteſtatem*, uti libertati fatalem reiiciebant apud S. Proſper. carm. de ingrat. c. 36. v. 593. & ſeq.

Hoc itaque arbitrium ſanat cùm gratia, tolli
Dicitis, & perimi, vita aſpirante, putatis.

XXV. Bonæ voluntatis initia quandoque Dei miſericordia præveniri Caſſianus docebat Collat. 13. c. 11. cujus verba refert S. Proſper. c. 5. cont. Collat.

XXVI. His bonæ voluntatis initiis meritum de condigno idem Caſſian. adimebat verbis relatis à D. Proſper. loc. cit. cap. 17.

XXVII. Nullus antiquorum eſt, qui propterea Semipelagianos hæreſeos inſimulaverit, quod vellent, *prævenientem gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare.* Apage itaque Janſenianum commentum in quarta Janſenii propoſitione meritò damnatum.

XXVIII. Prædeſtinatiani Hæretici ſæculo quinto nulli fuerunt, niſi quos, vel ignorantia peperit, vel calumnia; in ſectam non evaſerunt. Sæculo verò nono Gotheſchalci doctrina non ſatis ab aliquibus intellecta, ingentes in Galliis turbas excitavit, & magni nominis adverſarios habuit. Nos iis adhæremus, quos pro Gotheſchalco Auguſtinianæ doctrinæ zelus in aciem adverſus Joannem Scotum Erigenam evocavit.

XXIX. Semipelagianorum itaque doctrina gemino veluti cardine regebatur, nam & prædeſtinationem ex liberi arbitrii meritis ſuſpendebant, & gratiam libero ſubiiciebant arbitrio. Auguſt. ut primum convelleret, prædeſtinationem, *ſecundum propoſitum* totis viribus defendebat, & ut ſecundum deiiceret, illius gratiæ neceſſitatem promovebat, qua infirmitas *voluntatis humanæ indeclinabiliter & inſuperabiliter ageretur*, lib. de corrept. & grat. cap. 12.

CON-

CONCLUSIONES DOGMATICÆ

DE AUXILIIS DIVINÆ GRATIÆ.

CONTRA PELAGIANOS, SEMIPELAGIANOS, ET JANSENIANOS.

QUÆ ſubiicimus Pelagianorum commenta ab Auguſt. in unum collecta lib. de geſtis Pelag. cap. 35. tamquam damnatos errores reiicimus, ut quæ clariſſimis Divinarum Scripturarum teſtimoniis, præcipuè Apoſtoli Pauli, qui *in laudem gloriæ gratiæ Chriſti abundantiùs omnibus laboravit*, manifeſtè adverſentur. *Hæc itaque* inquit Auguſt. *ſunt, quibus hæreſis illius dumeta quotidie pullulare, imò jam ſilueſcere dolebamus*.

I. Adam mortalem factum, qui ſive peccaret, ſive non peccaret, moriturus eſſet. Sed contrarium docuit Apoſt. Rom. 5. *Per unum hominem peccatum in Mundum intravit, & per peccatum mors*.

II. Quod peccatum Adæ ipſum ſolum læſerit, non genus humanum. Sed contradicit Ap. 1. Cor. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ſic & in Chriſto omnes vivificabuntur*; & ad Rom. 5. loquens de Adam, *in quo omnes peccaverunt*.

III. Quod infantes nuper nati in illo ſtatu ſint, in quo fuit Adam ante prævaricationem. Non ergo indigent Redemptore, qui, ut ait idem Apoſt. 1. Thim. 1. *Venit in Mundum peccatores ſalvos facere*.

IV. Quod infantes, etſi non baptizentur, habeant vitam æternam; ut non rectè Ap. ſcripſerit ad Tit. c. 3. *Salvos non fecit per lavacrum regenerationis*.

V. Quod lex ſic mittat ad regnum, quemadmodum & Evangelium; ut nulla jam ſit differentia, quam ſtatuit Apoſt. 2. Cor. 3. inter literam occidentem, & ſpiritum vivificantem; *inter miniſtrationem mortis literis deformatam in lapidibus, & miniſtrationem ſpiritus ſcriptam non atramento, ſed ſpiritu Dei vivi, non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus*.

VI. Quod gratia Dei, & adjutorium non ad ſingulos actus detur, ſed in libero arbitrio ſit, & in lege, atque doctrina. At *ſi per legem juſtitia*, inquit Ap. ad Gal. 2. Si per voluntatis arbitrium juſtitia, addit Aug. lib. de nat. & grat. c. 9. *ergo Chriſtus gratis mortuus eſt*.

VII. Quod non ſit liberum arbitrium, ſi indigeat auxilio Dei. Sed liberum arbitrium non evacuabat, qui ſcribebat ad Philip. c. 2. *Deus eſt qui operatur in nobis velle, & perficere*.

VIII. Quod poſſit homo mandata Dei facilè cuſtodire? ſi velit: ita eſt: Sed ut velit, *præparatur voluntas à Domino*; & *Caritas Dei diffunditur in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum* quia *plenitudo legis eſt dilectio*.

IX. Quod victoria noſtra ex Dei non ſit adjutorio, ſed ex libero arbitrio. Fruſtrà ergò Apoſt. *gratias agit Deo, qui dedit nobis victoriam per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum*. 1. Cor. 15.

X.

Digitized by Google

X. Quod filii Dei non poſſint vocari niſi omninò abſque peccato fuerint effecti. Nullus ergo ex illis Sacerdotibus filius Dei, de quibus ſcribit Apoſt. Hebr. c. 7. *quod neceſſitatem habebant quotidie priùs pro ſuis delictis hoſtias offerre, deinde pro populi.*

XI. Quod juſti in hac vita ſint, vel fuerint, qui ſine ullo peccato vixerint. Quid ergo clamant ad Deum: *Dimitte nobis debita noſtra?*

XII. Quod Dei gratia ſecundum merita noſtra detur, ut gratia, juxta Ap. Rom. 11. *Non ſit gratia, ſi ex operibus.*

Contra Semipelagianos ex Concilio Arauſicano, quæ ſequuntur ſtatuimus Concluſiones.

XIII. „ Si quis invocatione humana gratiam Dei dicit poſſe conferri, „ non autem ipſam gratiam facere, ut invocetur à nobis, contradicit „ Iſaiæ Prophetæ, vel Apoſtolo idem dicenti ad Rom. 10. *inventus* „ *ſum à non quærentibus me, palàm apparui his, qui me non interrogabant.*

XIV. „ Si quis, ſicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipſumque „ credulitatis affectum... non per gratiæ donum, ideſt per inſpira- „ tionem Spiritus Sancti... ſed naturaliter nobis ineſſe dicit, Apoſto- „ licis dogmatibus adverſarius comprobatur, beato Paulo dicente „ Philipp *Confidimus, quia qui cæpit in vobis opus bonum, perficiet,* & il- „ lud ibid. *Vobis datum eſt pro Chriſto non ſolùm, ut in eum credatis, &c.* Can. 5.

XV. „ Si quis, ut à peccato purgemur, voluntatem noſtram Deum ex- „ pectare contendit, non autem, ut etiam purgari velimus per San- „ cti Spiritus infuſionem, & operationem in nobis fieri confitetur, „ reſiſtit ipſi Spiritui Sancto per Salomonem dicenti, Prov. 8. „ *Præparatur voluntas à Domino;* & Apoſtolo ſalubriter prædicanti, Phi- „ lipp. 2. *Deus eſt, qui operatur in vobis velle, & perficere, &c.* Can. 4.

XVI. „ Si quis, ſine gratia Dei credentibus, volentibus, deſideranti- „ bus, laborantibus, &c. miſericordiam dicit conferri divinitus, non „ autem ut credamus, velimus, vel hæc omnia, ſicut oportet, agere „ valeamus, per infuſionem, & inſpirationem Spiritus Sancti in nobis „ fieri confitetur; & aut humilitati, aut obedientiæ humanæ ſubjun- „ git gratiæ adjutorium, nec ut obedientes, & humiles ſimus, ipſius „ gratiæ donum eſſe contendit, reſiſtit Apoſt. dicenti 1. Cor. c. 4. *Quid ha-* „ *bes, quod non accepiſti?* & ibid. c. 15. *Gratia Dei ſum id, quod ſum.* Can. 6.

XVII. „ Si quis, per naturæ vigorem, bonum aliquod, quod ad ſalu- „ tem pertinet vitæ æternæ cogitare, ut expedit, aut eligere; ſive „ ſalutari prædicationi conſentire poſſe, confirmat abſque inſpiratio- „ ne, & illuminatione Spiritus Sancti, qui dat omnibus ſuavitatem „ in conſentiendo, & credendo veritati, hæretico fallitur ſpiritu, non „ intelligens vocem Dei, in Evangelio dicentis: *Sine me nihil poteſtis fa-* „ *cere.* Jo: 15. & illud Apoſt. 2 Cor. 3. *Non quod idonei ſumus, cogitare* „ *aliquid ex nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Can. 7.

XVIII. „ Si quis alios miſericordia, alios verò per liberum arbitrium ad gra- „ tiam Baptiſmi poſſe venire contendit, à recta fide probatur alienus Cā 8.

XIX. „ Adiutorium Dei etiam renatis, ac ſanctis, ſemper eſt implorandum, „ ut ad finem bonum pervenire, vel in bono poſſint opere perdurare. C. 10.

XX. „ Fortitudinem Gentilium mundana cupiditas, fortitudinem Chri- „ ſtianorum Dei caritas facit, *quæ diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum San-* „ *ctum, qui datus eſt nobis,* nullis meritis gratiam prævenientibus. Can. 17.

Digitized by Google

DE QUINQUE JANSENII PROPOSITIONIBUS.

XXI. „ Aliqua [a] Dei præcepta, inquit Janſenius, hominibus juſtis volen-
„ tibus & conantibus ſecundum præſentes, quas habent vires ſunt
„ impoſſibilia: de-eſt quoque illis gratia, qua poſſibilia fiant.

Contrarium docuit S. Auguſt. lib. de nat. & grat. c. 34. *vitia noſtra, quæ ſanat Deus ... ut in noſtra poteſtate fuiſſe, ne acciderent, confitemur; ita ut ſanentur, in illius magis eſſe miſericordia, quàm in noſtra poteſtate, fateamur.*

XXII. „ Interiori [b] gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.

Contrarium manifeſtè docet S. Auguſtinus lib. 2. de peccat. merit. & remiſ. cap. 19. ubi *præter victricem delectationem*, aliam agnoſcit, *qua minùs, quàm implendæ ex omni parte juſtitiæ ſufficit, delectat bonum, ſive cum latet, ſive cum etiam manifeſtum eſt*, & lib. de grat. & lib. arbit. cap. 15. & 17. *magnam, & parvam* caritatem diſtinguit, *robuſtam, & invalidam*; utramque ex Dei gratia; & quod *parva, & imperfecta* S. Petro *non deerat*, quando dicebat Domino *animam meam pro te ponam: putabat enim ſe poſſe, quod ſe velle ſentiebat.*

XXIII. „ Ad [c] merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non re-
„ quiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione.

Id nullibi docuit S. Auguſt.

Contrarium expreſſit lib. de nat. & grat. c. 65. ubi relatà, quæ ſibi à Pe-
„ lagio obiiciebatur S. Hieronymi auctoritate ex lib. 2. c. Jovinian. li-
„ beri arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutem, nec ad vitia ne-
„ ceſſitate trahimur, alioquin ubi neceſſitas, nec corona eſt: addit:
„ *quis non agnoſcat? quis non toto corde ſuſcipiat? quis aliter conditam humanam neget eſſe naturam?*

XXIV. „ Semipelagiani [d] admittebant prævenientis gratiæ neceſſitatem ad
„ ſingulos actus, etiam ad initium Fidei.

Nullus Semipelagianus id docuit; nam Caſſianus, qui ſcripſit, bonæ voluntatis initia à Deo inſpirari, ſcripſit etiam bonæ voluntatis initiis aliquando Dei miſericordiam præveniri; quod non eſt admittere prævenientis gratiæ neceſſitatem, &c. vid. S. Proſp. cont. Collat. cap. 5.

XXV. Et in hoc erant [e] Hæretici, quod vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare.

Hæreticus ergo & S. Proſp. qui lib. contr. Collat. ubi eam Caſſiani ſententiam retulit, qua dicit, bonæ voluntatis initia nobis à Deo inſpirari, deinde, tamquam Catholicum approbat, quod Janſenius tamquam hæreticum reprehendit. *Hic ne quis putaret, nihil ſupereſſe, quod per liberum ageretur arbitrium, non irrationabiliter adiecit, quo probaret, non auferri illud his donis, ſed potius roborari, niſi revolutum ad iniquitates ſuas, ab auxilio Dei ſe mallet avertere:* „ noſtrum verò eſt; inquit, adtrahentem nos gratiam
„ Dei, ut humiliter ſubſequamur, vel certè dura cervice, & incir-
„ cumciſis, ut ſcriptum eſt, auribus eidem reſiſtentes, &c.

XXVI. „ Semipelagianum [f] eſt, dicere, Chriſtum pro omnibus omninò
„ hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe.

Semipelagianus igitur, & S. Proſper, qui reſp. ad cap. 1. ob. Vincent. hæc habet: *quod ergo ad magnitudinem, & potentiam pretii, & quod ad unam pertinet cauſam generis humani, Sanguis Chriſti redemptio eſt totius Mundi.... Poculum quippè immortalitatis, quod confectum eſt de infirmitate noſtra, & virtute Divina, habet quidem in ſe, ut omnibus proſit; ſed ſi non bibitur non medetur.*

DE

a 1. Prop. b 2. Prop. c 3 Prop d pr. pars 4. Prop. e ſec. pars 4. Prop. f 5. Prop.

DE AUXILIIS DIVINÆ GRATIÆ SCHOLASTICÆ DISSERTATIONES.

I. QUærebat ex S. Auguſt. D. Proſper Ep. præfixa lib. de Præd. SS. *An licet dividi præſcientia à propoſito temporali diſtinctione non poſſit, præſcientia tamen quodam ordine ſit ſubnixa propoſito*. Hæc eſt celebris illa quæſtio, de medio, in quo Deus futura contingentia cognoſcat: an in Decreto libero ſuæ voluntatis, vel ante Decretum, &c. Reſpondet S. Auguſt. laudato lib. de Præd. SS. cap. 17. *quod in Prædeſtinatione ſua Deus ſua futura facta præſcivit*. Non eſt itaque dubitandum, an juxta mentem S. Auguſtini præſupponat ſcientia decretum.

II. In controverſiam vocant quidem ex Schola Theologi, an Divinæ Prædeſtinationis aliqua aſſignari poſſit ex parte hominis cauſa. Sed omnem controverſiam dirimit D. Auguſt. veſtigia premens S. Fulg. lib. 1. ad Monim. c. 21. *Si ergo*, inquit *in his*, ideſt in prædeſtinatis, *cauſa prædeſtinationis quæratur, non utique alia, ſed ſola gratuita Dei miſericordia reperitur*. Quid clarius?

III. Uſque adeò SS. PP. Auguſt. & Proſp. ab eorum opinione abhorrent, qui docent, facienti quod in ſe eſt ex viribus naturæ, ex certa lege conferri gratiam; ut vel nullum ex ſolis naturæ viribus videantur admittere opus bonum, vel ſi admittant, nullam ejuſmodi operum rationem habeant in ordine ad gratiam, perinde ac ſi non eſſent. Unde S. Proſ. carm. de ingrat. cap. 21. & 22. v. 407. & ſeq.

Omne etenim probitatis opus, niſi ſemine veræ
Exoritur Fidei, peccatum eſt - - -
Uſque adeò donum eſt, quod credimus, & data gratis
Gratia, non merità ditat mercede vocatos,
Nec juſtorum operum diſcernit facta.

IV. „ Qualem gratiam adverſus Pelagianos, eorumque reliquias Auguſtinus, & Proſper, & Catholici per illud tempus aſſeveraverint? „ Eam fuiſſe, quæ non ſolum mentem illuminet; ſed etiam voluntatem „ moveat; ità Dionyſius Petavius tom 3. Teol. Dogm. lib. un. de Hæreſi Pelag. &c. in Epigraphe cap. 8. cujus nos opinioni adhæremus.

V. „ Itaque declinatio illa cordis (à Pelagio afferta in Ep. ad Demetriad.) aliquid eſt ab externa prædicatione, ac lege diſtinctum, & in „ intimo Divinæ inſpirationis illapſu, ac mentis excitatione verſatur. „ At hoc ipſo genere gratiæ, non eſt contentus Auguſtinus, ſed aliam „ præterea requirit, quæ voluntatem noſtram moveat quò vult, & „ impellat, non alliciendò ſolum, quæ *metaphorica* commotio dicitur, „ &c.

Digitized by Google

„ &c. ſed etiam ipſam voluntatis actionem in nobis operando. Ejuſ-
„ modi gratiam, inquam, neceſſariam Auguſtinus exiſtimat: de hac
„ contendit una: hac unica excepta leves cæteras, ac nullius ad inſti-
„ tutam de gratia controverſiam momenti eſſe judicat. Totidem ver-
„ bis Petavius ejuſdem capitis num. 4. cujus iterum opinioni ſubſcri-
„ bimus.

VI. „ Ex Semipelagianorum opinione, & Proſperi contra eos diſputa-
„ tione colligitur, Gratiam Chriſti non in ſola mentis illuminatione,
„ ſed etiam in voluntatis motione conſiſtere. Ita idem Petavius in
„ epigraphe cap. 9. in cujus ſententiam manibus, pedibuſque deſcen-
„ dimus.

VII. Et hæc quidem in Petavio probamus. Quæ verò ſtudio partium abreptus minus conſequenter diſſeruit, improbamus. Quale in primis eſt illud, quod habetur cap. 10. num. 13. his verbis; *Sunt autem complures Catholicorum Theologi, qui quam Chriſti gratiam vocamus, eam ſola mentis, ſive intellectus illuminatione definiunt ... Quorum tamen eatenus à Semipelagiano dogmate cauſa diſtat, quod à luce iſta, illuminationeque mentis redundare aliquid in voluntatem aſſerunt.* Ecquid enim ab illuminatione mentis redundare in voluntatem poteſt, niſi *metaphorica* motio, quam admiſiſſe Semipelagianos idem Auctor oſtendit? c. 9. n. 12.

VIII. „ Illud etiam probare non poſſumus, quod num. ſeq. ſtatuitur,
„ opportunis ſcilicet momentis, ac temporibus, id agere gratiam de-
„ bere, ut ad intimos ſenſus audientium aditum habeat injecta mentibus
„ illorum veritatis oblatæ cognitio. Id, inquam juxta Petavii mentem
„ minimè admittimus. Contrarium enim didicimus ex S. Proſp. Carm.
„ de ingrat. cap. 20. v. 383. & ſeq.

Ad vero omnipotens hominem cum gratia ſalvat,
Ipſa ſuum conſummat opus, cui tempus agendi
Semper adeſt, quæ geſta velit, nec moribus illi
Fit mora, nec cauſis anceps ſuſpenditur ullis.

IX. His, qui ex innata hominis libertate dependere putant, quod gratia in uno converſionem efficiat, in altero ſuo fruſtretur effectu, illud S. Proſperi obiicimus, Carm. de ingrat. cap. 16. v. 320. cum ſeq.

An varii motus animorum talia gignunt,
Libertaſque facit cauſam non omnibus unam?
Ergo hominis valida arbitrio divina voluntas,
Aut etiam invalida eſt, operis, cui finis in illo eſt.

X. Iis verò, qui ex libero tantùm humanæ voluntatis conſenſu diſcernunt gratiam ſufficientem ab ea, quæ efficax dicitur, non unum, vel alterum S. Auguſtini locum obiicimus, ſed univerſos opponimus S. D. libros adverſus Pelagianos, , & Pelagianorum reliquias.

XI. Quam Chriſti gratiam agnoſcamus in iis, qui reipſa convertuntur, in iis, qui re ipſa perſeverant, non noſtris, ſed mutuatis ex Auguſtino coloribus exprimemus.

„ Ea enim eſt Chriſti gratia, qua Deus ita *hominem* docet, ut quod quiſ-
„ que didicerit, non tantùm cognoſcendo videat, ſed etiam volendo
„ appetat, agendoque perficiat, l. de grat. Chr. c. 14.

„ Quà trahitur *homo* miris modis, ut velit, ab illo, qui novit in ipſis
„ hominum cordibus operari, ... ut volentes ex nolentibus fiant,

L. 1.

Digitized by Google

„ l. 1. contra duas Ep. Pelag. cap. 19.
„ Qua Deus facit, ut faciamus, præbendo vires efficaciſsimas voluntati,
„ lib. de grat. & lib. arb. cap. 16.
„ Qua Filii Dei aguntur, ut quod agendum eſt, agant, lib. de corrept.
„ & gratia, cap. 2.
„ Qua homo habet in fide liberrimam, fortiſsimam, invictiſsimam, per-
„ ſeverantiſsimam voluntatem, Ibid. cap. 8.
„ Qua ſubventum eſt infirmitati voluntatis humanæ, ut indeclinabiliter,
„ & inſuperabiliter ageretur, ibid. cap. 12.
„ Quam infirmis Deus ſervavit, ut ipſo donante, invictiſſimè, quod
„ bonum eſt, vellent, & hoc deſerere, invictiſſimè nollent, ibid.
„ *Quæ vim ſuam habet ex Deo*, cui volenti ſalvum facere nullum
„ hominum reſiſtit arbitrium, ibid. cap. 14.
„ Qua Deus de ipſis hominum voluntatibus, quod vult, cùm vult, fa-
„ cit, ... ſine dubio habens humanorum cordium, quò placeret,
„ inclinandorum omnipotentiſſimam poteſtatem, ibid.
„ Qua Deus magis habet in poteſtate voluntates hominum, quam ipſi
„ ſuas, ibid.
„ Quæ occultè humanis cordibus divina largitate tribuitur, *&* à nullo
„ duro corde reſpuitur. Ideò quippè tribuitur, ut cordis duritia pri-
„ mitùs auferatur, lib. de Præd. SS. cap. 8.
„ Qua, cum Deus vult fieri, quod non niſi volentibus hominibus o-
„ portet fieri, inclinantur eorum corda, ut hoc velint, eo ſcilicet
„ inclinante, qui in nobis mirabili modo, & ineffabili operatur & vel-
„ le, lib. de Præd. SS. cap. 20.
„ Qua credimus, Dominum ſic in poteſtate habere cor noſtrum, ut bo-
„ num, quod non tenemus, niſi propria voluntate, non tamen tenea-
„ mus, niſi ipſe in nobis operetur & velle, lib. de dono Perſerv. c. 23.
„ Qua, cùm operatur Deus in homine voluntatem bonam, id utique
„ agit, ut oriatur ab illo bona voluntas, cujus eſt voluntas; ſicut
„ agit, ut homo oriatur ab homine, lib. 5. oper. imperf. num. 42.
„ Ecce quemadmodum ſecundum gratiam Dei, non contra eam libertas
„ defenditur voluntatis, voluntas quippe humana non libertate con-
„ ſequitur gratiam, ſed gratia potius libertatem, & ut perſeveret, de-
„ lectabilem perpetuitatem, & inſuperabilem fortitudinem, lib. de
„ corrept. & grat. c. 8.
„ Nec ſub nomine gratiæ fatum aſſerimus. Si autem quibuſdam omni-
„ potentis Dei voluntatem placet fati nomine nuncupare, profanas
„ quidem vocum novitates evitamus, ſed de verbis contendere non
„ amamus, lib. 2. cont. duas Ep. Pelag. cap. 5.

XII. Ejuſmodi gratiæ Doctrinam non primus in Eccleſiam S. Auguſtinus invexit, ſed ab Apoſtolo traditam, & in Eccleſiæ depoſito ab Antiquioribus Patribus fideliter cuſtoditam adverſus Pelagianos, Pelagianorumque reliquias ſtrenuè defendit.

XIII. Licet non modicam difficultatem ingerat Aug. lib. de corrept. & grat. quia tamen clariſſimis S. D. teſtimoniis, & evidentiſſimis ex eodem deductis rationibus oſtenditur, gratiam in Angelis, qui perſeveraverunt, per ſe fuiſſe efficacem; ideò tum in Angelis, tum in homine degente in ſtatu innocentiæ, ejuſmodi gratiæ neceſsitatem, cum S. Fulgent. lib. 2. ad Tranſim. cap. 2. & 3. S. Prudentio Tricaſs. lib.

de

Digitized by Google

de Præd. c. Scot. Erige ap. 4. Angelico Præceptore, & aliis contra Janſenium defendim:

XIV. Summam, poſt Apoſtolicam Sedem, & Sacra Concilia, S. Auguſtino deferimus, in dirimendis de Gratia controverſiis, auctoritatem. Jam enim *non viginti amplius annis*, ut S. Proſp. verbis utar, præfat. lib. contra Collat. Sed *tredecim amplius ſæculi contra inimicos Gratiæ Dei, Catholica acies hujus viri ductu pugnat, & vincit. Vincit, dicc, quia non ſinit reſpirare quos vicit.*

Diſputabuntur publicè Florentiæ in Collegio S. Marci, Ordinis Prædicatorum, objectis ſatisfaciente eodem, qui ſuprà, ſub aſſiſtentia R. P. F. Joſephi Mariæ Roſati Sac. Theol. Lect. primarii.

Anno 1725. *Menſe Maii. Die Hora*

Datur omnibus arguendi locus.

Digitized by Google

Digitized by Google